

Ouo, quod Foemina in suo fouet ouario, siue testiculo ouorum pleno, prodit: ita nullum etiam eiusmodi ouum foetum exhibere posse, nisi prius a virtute plastica feminis masculini, vel, si mauis, feminalis fermenti ex subtilissima et optima sanguinis parte, quae huc in vasa generationi interuentia defertur, confecti et elaborati, fuerit foecundatum, unde *Philaletha* Medicus Basiliensis in Specimine Physicae eclectico-experimentalis, Basileae 1707. 12. p. 359. *Generationem* definit *per sui similis ex ouo per congressum Maris et Foeminae mutuum foecundato procreationem.* Cumque unumquodque mulieris ouum, ceu semen, omnes humani corporis partes subtilissime delineatas comprehendere putent, ita ut longe ante commercium Foeminae cum Viro corporis nostri stamina et rudimenta in debitum situm disposita in hocce prolifico liquore natitent, (quanquam hoc neget, negatiuamque peculiari Dissertatione, foetum non ante conceptionem in ouulo praexistere, sed postea eundem formari, demonstraerit *Dn. M. Christian-Frider. Böttger* / Disputat. Lipsiae 1708. die 26. April. habita) haec stamina delineata materiam, illorum vero auctorem, partiumque ibidem delineatarum euolutionem atque explicationem formam generationis esse, dicunt. Vid. prolixius haec deducentem, generationisque totius processum delineantem *Dn. D. Buddeum* l. c. p. 122. seqq. *Dn. D. Iohan. Fridericum Ortlob*, Anatom. et Chirurg. Prof. Publ. in Academia Lipsiens. Hist. partium et oeconomiae homin. secundum naturam Lipsiae 1696. 4. Dissertat. 14. §. 10. et seqq. p. 108. seqq. Dissertat. 34. seqq. p. 265. seqq.

## §. IV.

Iam quis Diabolum, cum infinita destituatur, contra ea vero, ceu nuda creatura, finita et dependente gaudeat virtute, per creationem, siue independentem potentiam, substantiam producere posse, affirmare aufit? praecipue cum  
DE-